

Za
6806



A. N. 54. (15)

Za
6806

Q. D. B. P.

MEMORIA SECULARIS

VIRI

DE OMNIBUS REIP. NOSTRÆ STATIBUS
ET ORDINIBUS MERITISSIMI,

DN.

NICOLAI à DORNSPACH

CONSILIARII CÆSAREI, APUD ZITTANOS,
CONSULIS ET SCHOLARCHÆ.

ANNO M D LXXX. piè defuncti,

IN HONOREM ET GRATULANDI ARGUMENTUM,
VOCATO AD NOVUM REGIMEN

CONSULI,

nec non

PATRIBUS CON-

SCRIPTIS,

LITERARUM PATRONIS,

CONSECRATA,

SIMULQ;

INAUGURANDÆ IN SUPERIORI

AUDITORIO

NOVÆ CATHEDRÆ

DESTINATA,

ad d. 27. Aug. M DC LXXX.

celebrabitur

à

CHRISTIANO WEISIO, GYMN. RECT.



ZITTAVIÆ,

Typis MICHAELIS HARTMANNI.





Annum absolvimus velideo memorabilem, quod durante unius CONSULIS Regimine, Octo Senatorum parari vidimus exeqvias. Etsi enim sua quolibet causa naturalis ad moriendi necessitatem adduxisset; ea tamē repetitorum Funerū erat facies, ut è multitudine, mœroris afferrent augmentum, quale quidem per hanc Zittaviam, vel Atavorū memoria, contigerat nunquam. Ipse Annus à majori Peste famosus *M D XCIX*, surreptis per diem sæpè centenis, ex inclyto PATRUM ordine vix unum CONSULEM removerat. Lues porro quam dixerunt minorem *M D CXI* uno die BURCHARDUM Confulem, & RYTHNERUM Prætorem addixit sepulturæ; at in octo Personas jura non exercuit. Sic Annus *M D LIX* Trium Consulium morte fuit notabilis, JUNGNICELII, WIGANDI, & HUBERGI: ast duo ex his jam Emeriti suos viderant successores. Annus etiam *M D LXXXIV*. junctim abstulit Consules MILDIUM & SCHERFFINGIUM, nec non Syndicum LANCKISIUM; sed ne hic quidem numerus ad nostrum valet Octonarium. Interim, quæ immensa DEI benignitas est, reparatum jam videmus Ordinem tot luctibus turbatum, talesq; gratulamur electos, quorum Virtus, Circumspectio & Dexteritas futuræ felicitatis spem atq; fiduciam mirificè commendat. Ut proinde causam in Gymnasio habeamus præsentissimam, cur solennem, multisq; abhinc annis observatam Gratulandi consuetudinem, vel geminâ pietate contestemur.

Sive tamen mœroris aliquæ nos urgent reliquæ, sublata etiam mœroris causâ; sive Potentissimus ELECTOR lugens FRATREM Reverendissimum ac Serenissimum, modestiores jubet esse gratulantiū delicias, seu

seu deniq; Vicinorum calamitas, juxta & rerum nostrarum metus obicem ponit pronis in variam lætitiã animis; de argumento cogitandum fuit, quod tristitiã simul & gratulabundã Pietatis officium posset exsolvere. Quamobrem perlustranti nostros Annales, commodè offerebatur Vir omni titulo major, DN. NICOLAUS à DORNSPACH, CONSILIARIUS CÆSAREUS, RATIONUM PER INFERIOREM LUSATIAM PRÆFECTUS, HUIUS REIP. PER XXXII. ANNOS CONSUL, TEMPLI CURATOR, ET SCHOLARCHA SUPREMUS, quem centum abhinc Annis DEUS è terrestri hac Curia vocavit in Aulam cœlestem. Ut enim nullam Civitatis partem non illustravit, nullum ordinem sibi non devinxit; sic illi gaudebunt suas Virtutes legi in exemplo vetustatis, qui norunt vocatos se jam esse ad exornandam præsentium temporum felicitatem. Ita quibusdam è meis Auditoribus hoc imposui negotium, ut Nobilissimi CONSULIS Recordationẽ, cum devota precum oblatione conjungerent. Nam certè si quicquam est, quod è fortuna Beati Viri nunc velimus deprecari Nostris Magistratibus, id maximè nos movet, quod sub ipso DORNSPACHII Regimine Anno *MDC LXVIII.* annotatum legimus. Quippe Lues pestifera Pragam ita pervaserat, ut dies non abiret, nisi ducenta numerarentur mortuorum corpora; nec minor mali vis imminebat Vratislaviã, donec in ipsam Lusatiã penetraret contagio, Budissinensibus, imo & Lœbaviensibus infesta. Ex altera parte Schlukenavia, Jabelia, & quicquid propiorem Bohemiam attingit, Zittaviã admonebant miserã necessitatis; cum in Lanionum nostra platea, sex ædibus immissum venenum, melioris Spei maximam partem furriperet. Benignissima tamen DEI voluntas, & circumspecta PATRUM cura tum effecit, ut consistens intra hunc numerum calamitas, ultra metum non efferveret. O quàm fortunata fuerint vota perferam hanc DORNSPACHII memoriam excitata, si quos hætenus perturbavit præsentissimorum

periculorum timor, eadem subleuet dexteritas, eadem Prudentia, eadem Prosperitas. O faxit DEUS, ut qui sub coelo sincero, sub aëre minus corrupto, inter Cives nullo halitu abominabiles, progredi ad Regimen videmus CONSULEM, eandem experiamur digredientis securitatem, nec unquam occlusis per vim ædibus, simul imminuantur liberiores gratulantium voces. Præsertim largiatur Sanitatis Curator & Conservator supremus, ut quos nunc tanget pia votorum oblatio, eosdem elapso tandem anno novæ Constantiæ ac Felicitati liceat commendare.

Sed alia simul solennitas Actum præsentem reddet debito favore digniorem. Postquam enim Disputatoria & Oratoria nostra Cathedra, multis abhinc annis in Majori Auditorio conspicua, quin & à plerisq; Patronorum olim pressa, nunc vetustatis varias injurias tacitè videntur allegare: cogitatum in tempore fuit ab iis, quorum Curæ splendor scholasticus committitur, ne primum hoc industriæ sive signum sive excitabulum ad sordidas ruinas prolaberetur. Et cum novus hic Conspectus commendari nunc à singulis cupiat, ipsa prisca Scholarchæ recordatio tanto felicioribus ominibus affulgebit. Equidem Cathedram, quæ nunc vacationem obtinuit, oculis suis non usurpavit Dornspachius, qui paulo ante obitum *M D LXXIX.* effecit, ut Domus, quam à Cruce vel Crucigeris appellaverant, destrueretur, Scholæq; adeo & Rectoris habitaculo ampla satis accederet planities. Ast ad finem perducta demum fuit hæc structura *M D LXXXV.* annoq; sequenti novorum Collegarum introductio primam Gymnasii faciem provocavit. Tum enim datus Rector M. CASPAR JANITIUS, Corrector MICHAEL JUSTUS, alii duo M. CASPAR TULLICHIVS & M. DANIEL BURCHARDUS: ut facile conjiciam à tot Magistris Cathedrã fuisse postulatam, qualem disputantes collocando Præsidi & Respondenti sciunt necessariam. Nisi quis hanc gloriam servare velit M. GERLACHIO, Viro in quavis Eloquencia,

tia, adeoq; in rebus disputatoriis exercitatissimo, quo adventante, *MDCII* plenis ornamentis expolitur scimus ædificium Scholasticum.

Quod igitur felix & faustum sit, inaugurabimus in ista Panegyri Sedem, & Præceptorum dogmatibus, & variis Juvenum speciminibus destinatum, Deumq; rogamus, velit docendi amplissimam occasionem, nec minores speciminum proventus indulgere, dissolvendæ Scholæ tristem necessitatem avertere, & totidem annos usurpandæ huic Cathedræ clementer elargiri, quot auguramur effluxisse, dum starent Pulpita priora. Vivant Patroni, ne frigeat Schola; Faveant, ut sæpe spectari gaudeat Cathedra; quin seros suos hic adspiciant successores, ut conservandæ hujus sedis adsit fiducia.

Cæterum ut redeamus ad Memoriam B. DORN-SPACHIO consecrandam, quo ordine suas quisq; partes sit acturus, breviter delineabimus. Prologi vicem, universiq; operis decentem commendationem recipiet

JOHANNES SIEGFRIED NESENIUS,
constituti jam Prætoris Filius non degener, adeoq; ad excitandum bene precandi favorem satis aptus. Inde

JOHANNES FRIDERICUS GERBERUS,
Consulis à Regimine jam discedentis ex Sorore Nepos, Medici celebratissimi Filius, admirabitur ERUDITIONEM, quam è variis documentis adhuc licet colligere, five spectes Inscriptiones Sententiarum pulcherrimarum, quibus & privatam suam habitationem, & publica passim monumenta exornavit, five ponderes industriam tum illustrandæ Scholæ, tum excitandæ Bibliothecæ adhibitam. Porro

JOHANNES PHILIPPUS KRODELIUS
electi jam Senatoris Filius, demonstrabit PRUDENTIAM, quæ tempore satis periculoso Reip. statum mirificè sustinuit, postea Civitatem splendidissimis ædificiis sic augeri curavit, ut nulla fere Turris adventantium feriat

OCU-

oculos, quam ille non reddiderit sublimiorem vel pulchriorem. Hunc fecutus

JOHANNES HENRICUS à LANCKISCH,
Physici Ordinarii Filius, extollet PIETATEM, cujus argumenta non modo suppeditat Ecclesiæ Status ab eo sincerè curatus, quascunq; difficultates ob jiceret Reformationis odiosum initium; non modo Templi splendor, eodem dirigente auctus, ut etiam tum florere inciperet Musica Figuralis, imo, quæ personis ordinariis hodienu committitur, instrumentalis: sed etiam præ cæteris Beati & planè Christiani obitus testimonium, à Confessionario sic perhibitum, ut publicâ voce Deum rogaret, vellet sibi dare hanc gratiam, *UT MORERETUR ANIMA SUA MORTEM HUIUS RECTI, FIERENTQ; SUA NOVISSIMA HORVM SIMILIA.* Tandem

MICHAEL HERFARTH,
Parentibus æqvè honestissimis apud nos prognatus, felici clausula Felicitatem Dornspachianam apprecabitur PATRIÆ PATRIBUS, spectatis præcipuè Insignibus, quibus inclaruit volente sic IMPERATORE VIR NOBILISSIMUS. Etenim primo gestaverat tria Leonum Capita, in ipsa autem Galea Spinetum, quod argueret nomen à Spinis acceptum: At successu temporis, aucta capita ad numerum Senarium, Spinæ vero mutatæ in Leonem alis Aquilinis armatum. Quæ singula sic valent ad lusus hieroglyphicos, ut optantem præsentissima vovendi materia destituere non possit. Ultimo se ostendet

JOHANNES CHRISTIANUS JENTSCHIUS,
Consulis jam Regentis Filius, Adolescentulus ad meliorem spem natus, qui recitato Carmine Heroico, singulis ad ORDINEM SENATORIUM pertinentibus, devotam bene precandi pietatem testabitur.

Forte superfluum est addere preces invitantibus alioqui necessarias, cum accedendi tot incitamenta splendidissimum polliceantur Auditorium. Interim, quod in nostra potestate est, fore nos exhibitorum beneficiorum per-

perpetuo memores, sanctè recipimus. Nunc ut legentis oculus canentem sequi possit commodius, Hymnos Solennitati destinatos iuvat adscribere.

O D A
SUB INGRESSUM DECANTANDA.

I

Autumnum imminet quem pulchra lux foecundat,
Dum Postes Curiae Benignitas fecundat,
Nec per Scholasticum nescitur atrium,
Quam dulce pullulet Salutis gaudium.
O salvete qui floretis,
O valete qui favetis

2.

Cathedra plausibus vos accipit novellis,
Et quasi blandulis inaugurata stellis,
Secura temporis promittit gratiam,
Quae porro provehat docendi gloriam.
O spectate quod curatis,
O amate quod iuvatis.

3.

Hic verba profluent benigna Praeceptorum,
Hic Patres audient augmenta Filiorum,
Seu Disputatio loquentes excitet,
Seu Rhetor Testium favorem quaeritet.
O venite dum precamur.
O polite quod conamur.

4.

En adsunt Filii qui pulpitem conscendent,
Et Thura cordibus non impiis accendent.
Adeste candidis, Patroni, primulis,
Dum pulchrioribus laetemur flammulis.
O filete, sic vigemus,
O favete, sic placemus.

HYM-

Fla 6806

HYMNUS

Ante discessum concinendus, ad Melodiam qua PACIS
PRINCIPEM veneramus in Ecclesiis.

1.

GOTT das Jahr ist nun vorbei / du hast dein Volck erhört /
Daß weder Krieg noch Kriegs-Geschrey das Vaterland versehrt /
Ja daß du läst ein Friedens-Fest
Bishero kundbar werden.

2.

Wir haben gleichfalls satt und froh die Erndte zugebracht /
Da Sturm und Hagel anderswo viel arme Leute macht /
Die nun ihr Brodt aus Hungers-Noth /
Mit Kummer suchen sollen.

3.

Du hast ja den Regenten-Stand durch manchen Tod erschreckt:
Jedennoch deine Vater-Hand hat andre schon erweckt /
Die nun mit Rath und in der That /
Den Riß ersetzen werden.

4.

Ach breite deines Nahmens-Ruhm noch ferner gnädig aus /
Und lieb uns als dein Eigenthum: so wird auch dieses Haus /
Sich übers Jahr und immerdar /
In deiner Gnade freuen.

Wiewol es ist betrubte Zeit! Das blöde Volck erschrickt /
Dieweil ein tödlich Herzeleid die guten Nachbarn drückt.
Ach hätten wir nicht auch allhier
Dergleichen Angst verdienet!

6.

Doch Vater denck an deinen Sohn / wir sind von Ihm genennt:
Und weil der Feind die Zeichen schon an unsren Pfosten kennt /
So gieb uns Heyl / daß er den Pfeil
Vor uns verbergen müsse.

7.

Sol aber was beschlossen seyn / eh dieses Jahr vergeht;
So stelle dich als Vater ein / daß Zittau noch besteht /
Daß Kirch und Schul / daß Richter-Stuhl /
Und Rath-Haus nicht zerfalle.



V07

N.C.

IS

t/

Pon Za 6806, Fk
f

ULB Halle 3
003 577 260






A. N. 54. (15)

Za
6806

Q. D. B. P.

MEMORIA SECULARIS

VIRI

DE OMNIBUS REIP. NOSTRÆ STATIBUS
ET ORDINIBUS MERITIS

DN.

NICOLAI à DORN

CONSILIARII CÆSAREI, APU

CONSULIS ET SCHOLAR

ANNO M D LXXX. P

IN HONOREM ET GRATULANDI

VOCATO AD NOVUM

CONSU

nec non

PATRIBUS

SCRIPTIS

LITERARUM PAT

CONSECRATA

SIMULQ;

INAUGURANDÆ IN SU

AUDITORIO

NOVÆ CATHE

DESTINATA,

ad d. 27. Aug. M DC L.

celebrabitur

â

CHRISTIANO WEISIO,

GYMN. RECT.



ZITTAVIÆ,

Typis MICHAELIS HARTMANNI.

